

Annuit his Carolus dictis pulcherrimus heros,
Quem placidum voluit vestris sibi reddere Christus
Promeritis famulum, magnis et honoribus auxit.
Nunc sibi solvendi voti est concessa potestas.

III.

Alii ejusdem versus.

Nunc igitur nobis dum cessa est copia fandi,

A Nomen amicitiae crescat ubique suae,
Crescat et audaci assiduum sub pectore votum,
Quod sibi longævum addet in orbe diem.
Addit et æternam per præmia plurima palmam,
Quam sibi perpetuus servet in arce Deus.

ANNO DOMINI DCCCIX.

DAGULFUS.

NOTITIA HISTORICA IN DAGULFUM.

(Ex Fabricio, *Bibliota. med. et inf. Lat.*)

Dagulfus manu sua scripsit Psalterium aureis exaratum litteris, quod Carolus Magnus Adriano I pontifici munus obtulit; Dagulfus autem Carolo Magno dicavit hoc octodecasticho, quod in codice illo, bibliothecæ Cesareæ illato obvium vulgavit Lambecius tom. II, p. 266.

* Codex ille, quem Lambecio indicante Fabricius hic profert, mihi olim dum bibliothecam Vindobonensem, inviserem inspectus ac perlustratus, non Psalterium tantummodo exhibet, sed et cantica biblica. In principio vero quædam habet generalia de psalmis, ut de eorum origine et prophetia. An ista auctorem habeant Dagulfum plane ignoro. Insuper legitur ibidem sub nomine S. Hieronymi expositio illa fidei catholicæ, quam inter apocrypha S. Hieronymi dedit clar. Vallarsius in editione sua operum Hieronymianorum, tom. I.

B rum tantummodo exhibet, sed et cantica biblica. In principio vero quædam habet generalia de psalmis, ut de eorum origine et prophetia. An ista auctorem habeant Dagulfum plane ignoro. Insuper legitur ibidem sub nomine S. Hieronymi expositio illa fidei catholicæ, quam inter apocrypha S. Hieronymi dedit clar. Vallarsius in editione sua operum Hieronymianorum, tom. I.

DAGULFI OCTODECASTICHON.

Carolo Magno Psalterium suum aureis litteris exaratum nuncupat.

Aurea Davidicos en pingit littera cantus,
Ornare docuit tam bene tale melos.
Aurea verba sonant, promittunt aurea regna,
Mansurumque canunt et sine fine bonum.
Hæc merito tabulis cultim decorantur eburnis,
Quas mire exsculpsit ingeniosa manus.
Illic Psalterii prima ostentatur origo,
Et rex doctiloquax ipse canere choro.
Utque decus rediit, sublatis sentibus, olim

C Quod fuerat studio pervigilante viri.
Aurea progenies fulvo lucidior auro,
Carle, jubar nostrum, plebis et altus amor.
Rex pie, dux sapiens, virtute insignis et armis,
Quem decet omne decens, quidquid in orbe placet.
Exigui famuli Dagulfi sume laborem
Dignanter docto mitis et ore lege.
Sic tua per multos decorentur scepra triumphos,
Davidico et demum consociare choro.

ANNO DOMINI DCCXIV.

S. ANGILBERTUS

CENTULENSIS ABBAS.

NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM ANGILBERTUM.

(Apud Mabill., *Act. ord. S. Ben.*)

1. *Elogii hujus ratio, scriptores Vitæ sancti Angilberti.*

1. Etsi beati Angilberti res gestas e tenebris oblivionis eruere conati sint auctores duo veteres, neutertamen id plene et absolute assecutus est. Et quia multa sunt apud eos vel omissa, vel obscura, vel dubia, visum est operæ pretium hic in antecessum præmittere antiquorum de Angilberto testimonia.

D eaque simul comparare, ut ejus veritas historiæ clarius elucescat. Quæ cum brevi observationum adnotationumve spatio comprehendere commode non possint, satius putavi ea redigere in Elogium historicum, quod instar commentarii hic appono.

2. Auctores duo sunt præcipui qui de sancti Angilberti Vita scripsere: unus Hariulfus, monachus primum Centulensis, dein abbas Aldenborgensis ter-